

Forfatter: Brahe, Tycho

Titel: Ad Daniam elegia

Citation: Brahe, Tycho: "Ad Daniam elegia", i Brahe, Tycho: *Tychonis Brahe Dani opera omnia*, udg. af I.L.E. Dreyer , 1913-29, s. 208. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-tycho09tom-shoot-workid54702/facsimile.pdf> (tilgået 28. april 2024)

Anvendt udgave: Tychonis Brahe Dani opera omnia

[Ex excerptis Langebekianis Hauniensibus no. 179]

TYCHO BRAHE LUSIT HÆC CUM SOPHIA  
SORORE SUA IN PRÆDIO ANDRÆ SCHELLII.

**I**UNO quidem gazas amat, at non spernit amorem,  
Calliope cantus modulando affectat amorem, 5  
Uranie cœlum adspiciens meditatur amorem.  
Unicus has ternas quod Amor sic vincere Divas  
Parvulus ingentes poterit, quis crederet unquam?  
Succumbunt Divæ; mortales cedite Amori.

ERICI LANGE NOMINE SORORI SOPHIÆ T. B. 10  
Hanc tuus Ericus tibi, chara Sophia, salutem  
Mittit, et o semet mittere posse datum.  
Mittere cum nequeat corpus, suspirat, anhelat,  
Sic animus proprio corpore semper abest.  
Semper abest animus, quod amo, quod corpore alieno 15  
Vivo, sic quid sit vivere, nescit amor.  
Nunc ventos culpo, nunc vela et transfra tuumque  
Hinc abitum, quodque littera nulla redit.

[E codice Vindobonensi lat. 10686<sup>49</sup>]

AD MARTINUM BRASCHIUM. 20

Post carmen Martini Braschii ad Tychonem datum.

Cum hoc carmen per Studiosum quendam mihi notum Poëta ille misisset, et  
ego per eundem rescribi iussissem, chartulæ, cui aureos aliquot nummos 25  
gratitudinis ergo involvebam, eidem literis impositæ, sequens  
Epigramma mea manu subscripsi.

**H**ÆC Aganippeâ pro venâ munera venæ  
Auriferæ, Braschi, confule miâa boni.  
Quando talenta potens Auri lapis ille Sophorum,  
Quem spondes, dederit plurima, plura feres.

[E codice Vindobonensi lat. 10686<sup>48</sup>]

AD DANIAM ELEGIA. 30 1<sup>r</sup>

**D**ANIA quid merui, quo te mea Patria læsi,  
Usque adeo ut rebus sis minus æqua meis?  
Scilicet illud erat, tibi quo nocuisse reprëndar,  
Quod maius per me nomen in Orbe geris: 35

Dic,

Dic, age quis pro te tot tantaque fecerat ante,  
 Ut veheret famam cuncta per Astra tuam?  
 Quis facturus adhuc? quis quæ preciosa reliqui,  
 Digeret, expediens tuis apta suis?  
 5† Mittitur is Huennam focio comitatus ab uno,  
 Secreta Uraniae quem bene nosse putant.  
 Venit et ut vidit spectacula maxima Divae  
 (Pauca licet remanent) obstupuisse ferunt.  
 Quid faciat rerum ignarus? qui talia pandat,  
 10 Nec conspecta unquam nec sibi nota prius?  
 Astat inexpertus, Fabricarum nomina quaerit,  
 Quaerit tractandi (res pudibunda) modum.  
 Ne tamen ignarus frustra accubasse feratur,  
 Quæ referare nequit, vellicat invidia.  
 15 Nec mirum, meus hunc quia forte instruxerat osor,  
 Qui mihi jamdudum clam parat omne malum.  
 Hoc quoque sic a te, Tellus nativa, ferendum,  
 Hæc etiam meritis gratia danda meis,  
 Ut quæ nosse nequis, carpas oneresque cavillis  
 20 Multimode, nostrum diminuasque decus,  
 Te celebrem studui meritis augere per Orbem,  
 Tu mihi sed rursus detrahis immerito.  
 Hæc sed parva puto, longe his graviora ferebam,  
 Vix isthic nostri cura favorve fuit.  
 25 In Patria latui toto bene cognitus Orbe  
 (Ut multos alias delituisse liquet).  
 Sunt alij fundis, titulis et honoribus aucti,  
 Par quibus aut ætas aut genus esse nequit. ¶  
 1\* Aft ego Braheus de quinque fratribus unus  
 30 Et genitus primo, vix reputatus eram.  
 Non tamen invideo, miseret magis ista secutos,  
 Nil quibus est solidi, quæque caduca nimis.  
 Vix aliqui nostros ibi suspexere labores,  
 Herculeis quamvis æquiparare licet.  
 35 Alcides fesso (ut referunt) subvenit Atlanti,  
 Ne rueret præceps machina vasta poli:  
 At Ptolemæe tuis, Alphonse, Copernice, vestris  
 Lapsum occurrens ipse ego sisto pedes.  
 Ut Cœli vestram deluserit orbita curam,  
 40 Edocui, licet hæc cura stupenda foret.  
 Firmavique novis Cœli laquearia fulcris,  
 Ne capiat rimas postmodo, neve ruat.

Posteritas grato veluti testabitur ore,  
 Gratia sit nostro tempore muta licet.  
 Quanta Machaoniâ simulac effecimus arte,  
 Quæ facile ægrotis morbida membra levat.  
 Dania si taceas, Norici Suecique loquentur, 5  
 Sensit ubi nostram plurimus æger opem.  
 Nec tamen hinc lucrum sectabar, ut undique moris,  
 Gratis quippe dabam parta labore gravi.  
 Nimirum hoc fuerat, cur tanta odia invida fessi,  
 Hinc abitus nostri manat origo vetus. 10  
 Quæque diu latuit nec aperte prodita, donec  
 Invidiæ virus, qui stabiliret, erat.  
 Sic vitium pepulit virtutem, non mala causa,  
 Discessu in nostro crimen abesse juvat.  
 Quantas sustinui curas, impendia quanta,  
 Ut fieret celsum, quod meditabar, opus? 15  
 Quam multis etiam Sophiæ mysteria pandi,  
 Quos alii longum sumptibus ipse meis?  
 Pluraque præterea, vereor quæ dicere cuncta,  
 Ne proprias laudes enumerare ferar. 20  
 Pro quibus (ô Superi) mihi gratia reddita talis,  
 Sex ego cum Natis Matreque ut exul agam.  
 Sum tamen haud exul, libertas obtigit ampla:  
 Exilium in Patriâ verius ante tuli.  
 Nunc ego prospero ago, proprii nunc juris alumnus, 25  
 Nunc mihi pro Patriâ maximus Orbis adest. ||  
 Excipientque alij, sic prospiciente JEHOVA,  
 Gratus erit cunctis noster ubique labor. 27  
 Tu licet hunc renuens spernas damnumque fatiges,  
 O Patria, ô laudis prodiga facta tuæ! 30  
 Ergo ingrata vale; Patria est mihi quælibet ora,  
 Quæ volet Æthereis æqua litare sacris,  
 Quæque volet nostros agnoscere grata labores,  
 Quæ mihi pro meritis non feret immerita.  
 Dania sed (fateor) fatis excusabilis in se est, 35  
 Condolet et proprijs ingemit ipsa malis.  
 Tu quoque magnanimi Friderici Heroïca proles,  
 Inscius hinc culpâ, Rex generose, vacas:  
 Invitisque alijs, animus quibus integer, ista  
 Fiunt: Dij faciant non mage prava sequi. 40  
 Sunt aliqui pauci, quibus haud tamen ipse nocebam,  
 Qui mihi quâ possunt arte doloque nocent;

Hi